



F. N. F. G. C.

VT

VIRI NOBILISSIMI
QVOS VEL TEMPLA VENERANTVR
VEL CVRIA SVSPICIT,

VEL IVVENTVS SCHOLASTICA AMAT,

QVINIMO

OMNES, QVOS CHEMNICIVM TANQVAM VIROS
DOCTRINA PRAESTANTES HONORAT,

MAXIME

INSPECTORES SCHOLAE
MAXIMO COLENDI OPERE

IVVENEM DILIGENTIA ET PROBITATE EMINENTEM

SALOMONEM RANISCHIVM
CHEMNICENSEM,

DVM VALE SCHOLAE
AC PATRIAE DICIT.

AD ALTIORA PROGRESSVRVM

DIE VI. IDVVM. JVNII

AVDITA HORA DECIMA

BENEVOLE AVSCVLTARE

NON GRAVENTVR,

ETIAM ATQVE ETIAM OBTESTATVR

M. Daniel Müllerus,

RECTOR. SCH. CHEMN.

CHEMNICII, MDCCXL.

LITTERIS STOESSELIANIS.

4

Hip. Stx. auf. 436.

U. Saxon. II.

15,57,



* * *

lacet Iuueni diligenti, & in studiis litterarum vterius, quam fere solent, qui scholas frequentant, progresso, *Salomoni Rantzio*, de *Johanne Sachso*, noto illo Phonaſco, ante discessum suum, verba facere: & amicus, qui, pro more, ipsum non sine bonis omnibus dimittit, de Poëſi veterum Germanorum loqui ſibi proposuit. Ego, dum propositum hoc indicandum, & praefationis quaſi loco, nonnulla ſunt praemittenda, non alienum eſſe existimauſi a re proposita, de Poëſi generatim aliqua hic proferre. Meretur illa hoc propter ſuam, quam habet, dignitatem, de qua *Morhofii* (at quanti viri!) verba paucula hue transferam (a): *Ecquis nescit, omnem Philosophiam atque Theologiam in Poëtarum scriptis reconditam fuſſe? Quis Tragoediae veteris grauem in coercendis emendandisque hominum animis vim? Quis Comoediae non festiuos minus & acres, quam ſalubres ad perfricanda vita spectatorum ſales? Quis Epopoeiae ingentia ad virtutem, etiam in Heroum animis, incitamenta ignorat?* Ante vero, quam porro hanc Poëſeos dignitatem probare adgredior, quo pacto illa ſit definienda, diſquirere iuuat. In Aristotele fruſtra definitio- nem illius quaesieris: ex qua aliiſque nonnullis rebus colligere doctorum nonnulli voluerunt, mutiliū ad nos perueniſſe Aristotelis de Poëtica librum (b), multaque in eo desiderari temporis iniuria nobis subducta, praefertim cum ipse alibi, doctiſſe ſe in *Poëtica*, quae nufpiam in eadem hodie conſpicuntur, ſignificet: vel eſſe potius aliud plane Aristotelis ſcriptum, quam Stagiritae illius celeberrimi: a qua ſententia non multum abfuſſe *Ioachimum Camerarium*, ex *Actis Eruditorum*, quae iam inde ab anno millesimo, ſexcentesimo octogesimo ſecundo Lipsiae colliguntur, perſpicimus (c). Nisi nimis longe a proposito recedere viderer, aliam nonnullotum opinionem hic adi- cerem, quod ſeſilicet hunc librum pro genuina Aristotelis ſobole agnouerint ex an- tiquioribus Philosophis praefantiffimi; quodque ipſa verborum conciſa breuitas, diſtioniſque caſtas, ac tota libri ſtructura, quae omnia alias in reliquo Aristotelis ſcriptis obſeruantur, ſuo eum auctori vindicent (d). Etiā vero iphiſus Poëticas de- finitionem in Aristotele inuenire haud potuerim; eundem tamen *Poëtam* aliqua ra- tione deſcribere, haec eius verba teſtantur: *Οὐ τὰ γενόμενα λέγειν, πῦρον ποιητὸν ἐγ- γονέσι, ἀλλά διὰ τὸ γένοιτο, οὐδὲν δύναται, κατὰ τὸ εἰδός, ἢ τὸ αἰραγμένον* (e). Liceat hic mihi, dum in Aristotele Poëticas definitio non extat, duas alias, longiorēm alte- ram, alteram breviorēm ſuſtituere. Longior est *Josephi Trappii* (f), atque his conſtat verbis: *Poëtica est ars, quicquid est, vel mente comprehendi potest, metricis numeris imitans vel illustrans, voluptatis hominum, atque virilitatis gratia.* Bre- uior est *Vincentii Grauinac*, ICti Itali, cui *Poëſis* eſſt veritas per fictionem expreſſa (g). Relinquo beneuoli Lectoris iudicio, quid de his Poëticas definitionibus cenſere velit: ego vero reuertor ad Poëſeos dignitatem, quam e plurimis rebus eluci- dero, a nemine, credo, erroris inſimulabor. Eluicit nempe illa primum ex antiquitate. Graeci, pro iactabundi ingenii indole, triumuiris illis notis apud ſe natis, *Orpheo*, *Lino & Musaco*, inuentae Poëticas gloriam vindicant, cum itamen ſimilior sit vero *Voffii* & aliorum ſententia, eam ſeſilicet ante Cadimi, a quo litteras acceperunt Graeci, in Boeotiam aduentum, atque cum mundi prope incunabulis, i.e. circa tempora ortam, quibus *Iubal*, Adami trinepos, *αὐλητικῆς καὶ μαθητικῆς* auctoſ floruit; poſtea vero eandem a paſtoribus atque agricolis, circa montes fontesque, Heliconem, Parnaf- ſum, Aganippen, Hippocrenen aliosque cultam celebratamque fuſſe. Hac ratione Poëſin, ſi cum ſoluta oratione conſeratur, cognoscimus ſine dubio tempore ac na- tura priorem; celebresque vates prius, quam claros oratores in historiā litteraria praedicatos inueniri, in propatulo eſt (h). Eandem antiquitatem multis etiam ſtabi- liuit doctiſſimis ille Italus, *Lilius Gregorius Gyraldus*, atque inter alia docuit (i), Poë- tas multo antiquiores eſſe aetate, quam Philosophiae nomen, itmo poëtas ipſos habi- tos eſſe ſapientes vel philosophos. Idem de Philosophia Poëtarum veterum corro- borauit Abbas *Garofalo* (k), ſtatuitque, eosdem extitiffe Philosophos, atque plurima horum placita ex antiquis deſumpta eſſe poëtiſ. Quaerere hic poſſemus,

(a) in Polyhist. Litterar. Tom. I. Lib. VII. § 3. p 308 309. (b) Haec eſſt ſententia Dacerii dans la Poëtique d'Aristote, i.e. in Poëtica Aristotelis gallice reddita. (c) a 1692. p. 561. (d) Confer Morhofium, loc. cit. p. 309. & Theodori Gouſtani librum, in quo Aristotelis Poeticam verit & notis illuſtrauit, in Act. Erud. a. 1697. p 379. (e) Ita ex his verbis definiſſi posſet Poëta: eſt Poëta, non qui faſta dicit, ſed qua- lia fieri debent, ſecundum veriſimile vel neceſſarium. (f) in Praelectionibus Poëticis, qui liber Oxo- nii editus recenſetur in Actis Erud. a. 1713. p. 545. ſeqq. (g) in libro de Ratione Poëticas. Vid. Acta Erud. a. 1709. p 554. (h) de hac antiquitate Poëſeos agit Trappius ſupra citatus (i) Dialog. I. de Poëtarum Historia p 29. Tom. I Operum.

an ad antiquissimi omnium, quos habemus hodie, scriptoris, Mosis, tempora
 poëseos initia sint referenda. Est haec opinio *Johannis Clerici*, qui nonnulla carmi-
 nibus ὄμοιοτελεύταις, a Patriachis Mose vetustioribus, concepta fuisse coniicit (l), tum
 quod apud omnes ferme gentes antiquissimatum historiarum fragmenta versibus
 continerentur; tum quod apud Hebraeos, etiam tempore Mosis, visitatum fuerit, ut
 magnarum rerum memoria carminibus celebraretur: idque liquere ex Exod. XV,
 I. 21. & Deut. XXXII. I. 44. ait. Quod si vero superius de Jubale dicta veritati sunt
 consona, Poëseos origo aetatem Mosis longe antecedit. Ad dignitatem Poëseos si
 reuertor, eandem ex insigni eius vsu apparere arbitror. Cecinerunt enim Poëtae sua
 carmina veluti ad memoriam Regum conservandam, ita ad Deos suos collaudandos.
 Et quanquam non pauca in veterum poëtarum reperiuntur carminibus, quae loui ali-
 isque Diis maximo sunt dedecori: saepius tamen in honorem eorum non pauca can-
 tant, quam laudem pleniores veri Dei, in scriptis Poëtarum Christianorum ligatis,
 iisque antiquis maxime, habemus. At recentiorum etiam nonnulli laudabiliter id
 perfecere, quod unico exemplo (cum pluribus possemus) nempe *Adami Andraeae* (m),
 ante hosce centum annos scholae nostrae Rectoris, comprobo, qui *Aram Gratitudi-
 nis augustissimo nomini JESV* erexit & duabus centuriis comprehendit. De aliis
 utilitatibus poëseos multi multa litterarum monumentis consignarunt. Occurrit
 mihi primum *Theodorus Parrhasius* (sub quo nomine delitelcere creditur *Ioh. Cle-
 ricus*) qui de varia haec utilitate, paucis multa complectens, ita commentatur (n):
*Veterum poëtarum lectio ideo suadenda est, quod multa doctrinae moralis ac ciuilis
 capita, concinna elegante dicione expressa, exhibeant, & grandi quoque subli-
 mique dicione vim imaginandi excitent, habitumque simili ratione mentis cogitata
 exprimendi, diligens eorum lectio inducat.* Utilitatem hanc etiam iamdudum do-
 cuit (o) *Johannes Mauckischius*, & *Godofredus Ludouici Sapientiam e Veteribus Poëtis*
 latinis hauriendam in peculiari Dissertatione considerauit, in qua *latere in fabulis
 ipsorum sensum aut Theologicum aut Politicum aut Ethicum aut Physicum monstra-
 uit*, ut de aliis, quas in medium profert, utilitatibus nil dicam. Calculum suum addit ita
 sentientibus Poëta longe praeflaccissimus, *Ioachimus Fellerus*, quippe qui Poëtas tan-
 quam humanae Sapientiae doctores & ciuilis prudentiae magistros introduxit alicubi,
 cum *Rappollo Antecessore suo*, ad Philosophiam eos exigens, id est Philosophorum
 dogmata ex poëtarum scriptis collecta eruditio orbi fistens. Digna sunt porro me-
 moratu verba, quae Vir, cuin viueret, nemini eruditione impar, *C. S. Schurzfleischius*
 Dissertationi primae ex iis, quae iunctim Wittebergae anno post millesimum, sexcen-
 tesimum nono & nonagesimo sunt editae de utilitate poëseos inseruit, sic scribens:
Tanta ista est utilitas, ut vix quisquam eruditorum ea carere possit. Hoc porro
 probat, fidemque rei facit idem, dum *Parmenidem* (p) in primis a *Socrate*, *Platone*,
Theodoreto, *Cyri*, *urbis Syriae*, *Episcopo & Bessarione* fuisse lectum asserit. Imo *Diodorum*
Siculum, *Polybium*, *Hyginum* & plures tales a nemine, nisi in poëtarum lectione versa-
 tissimo, plene intelligi; & in *Cassandra Lycophronis* historias inesse, a nullo, praे-
 terquam poëta, explicandas vsu edoctus monet. Singularis plane est utilitas, quae
 aliquando per carmina vel poësin a Lacedaemoniis contra Messenios pugnantibus fuit
 impetrata. Nam cum *Tyrtaeus*, poëta claudus, Lacedaemoniis ab Atheniensibus
 missus esset tanquam dux bellicos, tandem, ter antea fusus, per *composita*, veluti *Ju-
 stinus* narrat (q), carmina, in quibus *hortamenta virtutis, damnorum solatia,
 belli consilia conscriperat*, tantum certandi militibus ardorem iniecit, ut pugnarent
 intrepidi, & *victoria Lacedaemoniorum esset*. En vim usumque poëseos! Quem
 vlam si quis nondum satis perspicit, ille perpendat & hunc, qui ad poëtas redundauit,
 magna ex poësi, quasi ex fertili fundo, praemia reportantes. Si e loginquo usum
 istum quaerimus, *Adamus Ebertus* (r) narrat, in *Asia florere maxime poëticam artem*
 carminibus innumerabilibus. Ex eiusdem relatione, *Kheder Monarcha regionum*
Transoxaniae e folio ex quatuor lancibus nummos aureos argenteosque distribuit
vincentibus se, coram ipso, poëtis. Hic contentio (sic pergit Ebertus), per arma
 inter imperantes oboritur, quis poëtarum maximo dignus sit praemio. Sed cur
 accessimus e tam diffitis & incognitis terris Poëseos praemia & honorem? In Galliam
 Germaniae finitiam nos conferamus, vbi *Ludouicus XIV. doctis benevolentissimus*

(k) Libri eius titulum & contenta inuenies im *Neuen Bücher-Saal*, Tom. I. p. 801. (l) in *Dissert. III.*
 Proleg. in *Genelin*, p. XXX. (m) Primus fere Rectorum hic fuit, sub quo schola magis, quam
 antea, florere coepit. (n) in *Cogitationis variis super argumentis Criticis*. Vid. *Aet. Erud.* a. 1699 p. 455.
 (o) in *Disputatione de Poëtarum Fabulis*, Thesi præcipue VIII. (p) qui versibus Philosophiam com-
 prehendit. (q) *Lib. III Hist.* cap. 5. (r) in *litteris de eruditione Arabum & Turcarum*, quae litterae
 tuat in *Aet. Erud.* Tom. VII. Suppl. p. 411. & 420.

Rex, poëtae, cum in ipsius victorias, & ipsam Lutetiam Parisiorum unicum hoc distichon:
Par urbi domus haec, urbs orbi, neutra triumphis
Et belli & pacis par, Ludouice, tuis,

ei obtulisset, CM. florenos donauit (s). E Gallia in Italiam transeamus, & speciatim Venetias intremus, vbi Sannazarius, poëta felicissimus, conditum a se urbis encomium, tribus constans distichis, Senatui attulerat. Quid lectis illis versibus Senatus? Pro singulis poëtrae centenos aureos dono dedit (t). Ad praemia Poëtarum non contenta pertinere etiam mihi videtur laurea Poëtica, quae, quamvis hodie, sicuti interdum Gradus Academicci, ab aliquibus, qui versiculos non adeo bene tornatos pangere didicerunt, non raro pecunia redimatur: olim tamen peculiaris hic honor habitus est iis, qui poëtica arte alios exsuperarunt. Quod si inquirimus, quo tempore hic ritus, creandi poëtas, primum inualuerit; Scaligero quidem, viro summo, vixum est, eum Domitianus aeuo ortum debere; rectius tamen alii a Domitianis aeuo remotissimum, & tantummodo ab ipsa Graduum Academicorum origine deducendum eum esse rentur, dum in Diplomatibus Comitum Palatinorum cum iure creandi Doctores, Licentiatos, Magistros atque Baccalaureos intime illum connecti ostendunt (u), & poëtas quasi quintam Facultatem constituisse, quae ceteras in ordinem elegantioris litteraturae coegerit, sibi persuadent. Haec de laurea poëtica, tanquam praemio poëeos, inspergere placuit; quaero nunc, an non etiam hisce praemis istud annumerari queat, quod honore ingenti terrae huius domini, & virtuali eminentissimi, saepius mactarunt poëtas. Hic primo Augustus, augustissimus Monarchiae Romanae conditor, menti obuersatur, de quo cognitum satis est, eum tanti *Virgilium* atque *Horatium*, poëtas, fecisse, ut alter dextrum, alter sinistrum eius latus stiparet, atque cum eo sermones familiares caederet. Imo Augustus hic ea fuisse mente creditur, memoriam lui aliquando intericuram esse, nisi *Horatius* aliquis carminibus duraturis eam posteritati commendaret. In Daniae regnum nos conferamus, vbi Poëtam *Hiaerno* reliquis anteuisse honore, quem ipsi peritia carmina pangi contraxit, inuenimus (x). Cum enim hic in mortem Regis demortui *Frontonis* eleganter, quam alii, cecinisset, in regium thronum propterea sublatus est. Vnicum istud de *Paulo*, magno illo ad gentes Dei legato, commemoro, quod omnino poësi dedecori non cedit, si ipsum poëtarum gentilium non amatorem solum, sed etiam lectorem fuisse diligentem, atque nonnulla eorum verba in sacris litteris allegasse, demonstrem. Atqui obscurum neutrquam est, quod tria communiter adducantur dicta, vbi *Paulus* aliqua gentilium istorum loca, nempe *Arati*, *Phocilidis* atque *Epimenidis*, in vixum suum conuertit (y). Iungit his locum quartum *Sebastianus Pauli*, Italus, quem a Paulo sancto ex *Callimacho* mutuo petitum (Rom. XII. 2. qui ressilit potestate Dei, ordinationi diuinae ressilit) credit (z). De odio nonnularum aduersus Poëtas atque de aliis quibusdam rebus ad hanc materiam pertinentibus acturus etiam eram; ac inhibet calamum paginae angustia, vtque, quae superfunt, vel penitus omittam, vel ad aliud tempus referuem, imperat. Iam properandum mihi est ad Iuuenem praecellentis ingenii atque industriae, qui, dum discedit, de Poëta germanico ante aliquot secula florente, verba facturus hanc de Poësi generatim tractandi occasionem mihi subministravit. Est ille

Salomo Ranischius, Chemnicensis

ipse poëta bonus, siue ab eo germanicum siue latinum carmen poscas. Neque sola est facultas carminis contexendi, quam sibi comparauit. Magnus discendi ardor, quibz ipsi fere incunabulis in eo fuit deprehensus, pluribus suffecit. Quicquid schola docet, id sedula hausit aure, & sic obtinuit, vt saepius priuatim surgens, ac de rebus variis, modo soluto mod ligato sermone, modo graece, modo latine, modo germanice potuerit dicere. Imo idem fecit publice, quam alii, crebrius, neque sine audientium applausu. Praeter illas linguas non parum etiam est exercitatus in hebraica & gallica, vt nil dicam de Italica, quam cum Heroldo Marte suo tractauit. Cum Musis copiunxit Musicam, in qua eo usque est progressus, vt chorus cum laude esse potuerit. Neque hoc tacendum, quod probitas, aequa ac diligentia, ipsi in medullis haeserit: in qua vita ratione si constans, vt spero, manserit, si que Deus & homines paupertatem illius subleuant, non dubito, quin aliquando vel patriae vel alii loco egregia officia sit praestiturus. Ante discessum *Iohannem Saxum* (*Hans Sachsen*) aum Germanorum Poëtarum, vernacula lingua laudat, eadem *VALE* pium patriae acclamaturus. Interim quod paulo ante sum ominatus, toto opto animo, ac mecum optat schola per Iuuenem ad praeclara quaevis laudabiliter tendentem *Johannem Ernestum Schurichium*, Chemnicensem, qui votis suis latinis orationem itidem latinam, de Poësi veterum Germanorum præmittet, Vos, Patroni, Fautores, Amici adeste quaeso, ac Vesta honorifica praelentia commonstrate, quod diligentiam ac probitatem iuuentutis magni aestimetis.

(s) Vide Beermannum in Histor. Orb. Terr. Geogr. & Ciuii, P. I. S. II. p. 332. (t) Vide illa in Beermanno, loc. citato, P. II. p. 769. Hausit illa Beermannus e Iohannis Baptr. Crispini Vita Sannazarii. (u) Vide Observar. ad rem litterariam spectantium Tom VI. Ceterum praeter Iacobi Thomasii Dissertationem, de ritu coronandi Poëtas, disputatum etiam fuit de Poëtarum Coronatione Baruthia, 1706. Vide Nova Litter. Germ. an 1706. p. 37. (x) Refertur hoc ex Nicolai Petri Sibbern Bibliotheca Historica Dano-Norvegica in des Neuen Bucher-Saals Tom. V. p. 564. (y) Vide de his Paulini Philos. Lusi-Stunden, P. I. p. 309, seqq. (z) in Dissertatione de Poësi Patrum, Neapoli edita, an. 1714. p. 18.

H. Sax. 2e. 15, 57.